Q. D. B. V.

DE

NECESSITATE OFFICII A IVRAMENTO CALVMNIAE NON LIBERANTE

DISPVTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

QVAM

POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO


GEORGIO II.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE

DEFENSORE FIDEI

S. R. I. ELECTORE ARCHITHESAVRARIO

DVCE BRVNSVICENSI AC LVNEBVRGENSI



RECTORE ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

MAGNIFICENTISSIMO

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI

GEORGIO HENRICO AYRERO

PHIL. ET I. V. D.

CONSILIARIO AVL. REG. AC IVRIS ANTECESSORE

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE OBTINENDIS

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

DEFENDET

AVCTOR

PHILIPPVS GEORGIVS DE HASE

BREMENSIS

A. D. XXIX. APRILIS A. C. N. CIↃIↃCCXXXXVII.

GOTTINGAE

EX OFFICINA VANDENHOECKIANA.

ANTIQVITATE FIDE AC LIBERTATE
SVA SPECTATISSIMAE FLOREN-
TISSIMAEQVE
REIPVBLICAE BREMENSIS
SENATVI AMPLISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS
CONSVLTISSIMIS DOCTISSIMIS

DOMINIS

CONSVLIBVS
SYNDICIS
SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS OPTIME MERENTIBVS
AVREAE LIBERTATIS VERAE VIRTVTIS
SALVTIS PVBLICAE
RERVM ITEM SACRARVM
DEFENSORIBVS PROPVGNATORIBVS CVRATO-
RIBVS
IVSTITIAE SACERDOTIBVS
MVSARVM PRAESIDIBVS
MAECENATIBVS

PATRONIS SVIS
OPTIMIS MAXIMIS

DISPVTATIONEM HANC IVRIDICAM

INAVGVRALEM

LAETVS GRATVS LVBENS MERITO

OFFERT

SESE

OMNI OBSEQVIO PIETATE STVDIO

COMMENDATVRVS

PHILIPPVS GEORGIVS DE HASE.



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRID.

DE NECESSITATE OFFICII A JURAMENTO CALUMNIAE NON LIBERANTE.

PROOEMIVM.

Tam plena calumniarum, insidiarum, fraudum, fictionum ac malitiarum sunt omnia non in quotidiana solum hominum conuersatione, vbi semper mali audacter calumniari & bonorum virorum nunc famae, nunc fortunis insidiari solent, sed etiam in iudiciis, locis illis sacrosanctis & veritati, aequitati ac iustitiae audiendae, cognoscendae, distribuendae tuendaeque destinatis vnice, vt, quamuis ceteroquin satis sint multa, quae in iure dicuntur vacua, variis occupandi acquirendique modis demum extra statum vacuitatis ponenda *a*), vel hac tamen parte hocque respectu nullum dari vacuum

a) Egregie id eruditissimeque per omnes iuris species ostensum fuit in elegantissima dissertatione, Praeside Illustri GEBAVERO & Resp. Viro nunc Amplis. Consultissimoque, FRANC. GVIL. ROMANO, Lipsiae 1725. habita, ibidemque 1739. ob praestantiam suam recusa, *de eo, quod in Iure dici potest vacuum.*

cuum iuridicum, vel potius iudiciale, tuto poſſit adfirmari. Neque hinc mirari ſubit, inter Deos, a gentilibus cultos, calumniae etiam & impudentiae ſuas fuiſſe aras *b*). Quamuis enim hoc recte illis exprobauerit non ſolum LACTANTIVS, CICERO ille Chriſtianus *c*), ſed ipſe quoque M. TVLLIVS *d*), quod alios Deos colerent, *vt prodeſſent*, alios vero, *ne nocerent*; vel ex hac ipſa tamen cauſſa, quod vitiorum aeque, ac virtutum, praeſides ſtatuerent illosque non minus placare, quam hos ſibi propitios reddere, cuperent, eorum Theologiae cultum calumniae quam maxime conueniſſe, haud immerito iudicauit HENR. BRENCMANNVS *e*) *Dubito enim*, inquit, *an vlla peſtis, aut tetra lues diris atque exitialibus phlegethontis gurgitibus excita, funeſtius vnquam horribiliusue ſaevierit, quam calumniarum furiae. Nam cum aëris quidem contagia omnes promiſcue inficiant, hoc fatale monſtrum, haec pernicies, niſi optimos quosuis, niſi egregios & boni publici amantes, profligare ſolita.* Tantam e contrario probitatis ac bonae fidei vaciuitatem vbique deprehendimus, vt virtutem, non a priuatae ſolum conditionis hominibus, ſed etiam a principibus viris ſanctiſſime colendam, penitus euanuiſſe, vetusque illa NASONIS cantilena; *f*)

Candor in hoc aeuo res intermortua paene;

noſtro ſeculo cum maxime congruere videatur. Dudum hinc de explendis hiſce vacuis moralibus cogitarunt mor-

b) Vid. LIL. GYRALDVS *de Diis*, Syntagm. I. pag. 37. ſeq.

c) *De falſa relig.* L. I. c. 20.

d) De *Legibus* L. II. c. 2.

e) In praef. ad Libellum ſuum elaboratiſſimum, quem *Fata calumniatorum ſub Imperantibus*, inſcripſit, apud Cel. OTTONEM, Syndicum reip. patriae meritiſſimum, *in Thes. Iur. Rom.* T. III. pag. 1649. ſeq.

f) Lib. II. de *Ponto* Eleg. 5. v. 5.

mortales, probe intelligentes, ſine fide, i. e. ſine animi orisque harmonia illa vel praeſtabilita, vel praeſtabilienda, qua nihil poteſt eſſe praeſtabilius, omnem ſocietatem ciuilem, immo humanam conſortionem omnem facile diſſolui. Nullo illam autem vinculo fortiori contineri arctiusque conſtringi poſſe, merito crediderunt, quam ſacro illo horrore, qui iuriiurando ineſt. Dum enim religioſa huiusmodi aſſeueratione vindictam divinam in ſe prouocant iurantes, niſi vera loquantur, optimum hoc dictis conuentisque maiorem fidem conciliandi mutuamque hominum diffidentiam *g*), ſi non tollendi penitus, ſaltem magna ex parte minuendi medium fuit exiſtimatum *h*). Sicuti vero variis & multiplicibus

---

g) Hanc vnice iuramentis originem dediſſe, pluribus oſtendit V. C. ABR. GOTTLOB WINCKLER in Diſſertat. Iurisprudentiae conſultatoriae ſpeciminis loco, ſub Vitrici ſui, *Illuſtris* AYRERI, praeſidio hic 1741. habita, *de abuſu iuramentorum e republica proſcribendo.* Sect. I. §. 2.

h) Notum quidem eſt inter argumenta, quae generatim contra iuramentorum vſum prolata ſunt, illud dilemma ſatis ſpecioſum: *Si neque bono iniurato diffitendum, neque malo iurato credendum, iis conſequens videtur, a nemine iusiurandum eſſe exigendum.* Nam, vt ait AESCHYLVS: ʼὐκ ἀνδρὸς ὅρκοι πίστισ. ἀλλʼ ὅρκων ἀνήρ. *Iuramentum non adfert fidem viro, ſed vir iuramento.* Sed apposite ad illud GVIL. BARCLAIVS in Comment. ad Tit. ff. de *Iurei.* c. 2. apud Ill. OTTONEM, quem iterum honoris cauſſa adpello, l. c. p. 915. reſpondit: *metum Numinis impellere homines alioqui malos ad confeſſionem veritatis.* Quod etiam gentiles agnouerunt. Hinc VIRGILIVS *Aeneid.* I. 546.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Neque veritate deſtituitur illud effatum pulcherrimum, quod ex SOPHOCLE adduxit STOBAEVS: *Appoſito iureiurando cautior & diligentior animus fit, a duobus enim*

 ſibi

plicibus negotiis, quae in vita communi occurrunt, & vel extra iudicium, vel coram iudice tractantur, illud adhiberi consueuit; ita non mirum est, tot diuersas iuramentorum species enatas esse, vt eas vix enumerare possis. Hic ipse vero quotidianus eorundem vsus dicam, an abusus, tandem effecit, vt, proh dolor! vilescere coeperit sanctissimum illud vinculum, quo non nisi summa cum cautione & circumspectione vtendum erat. Quare satis praegnantes subsunt causae, cur de restringendo potius & minuendo iuramentorum numero solliciti esse debeant Legumlatores & Rectores rerumpublicarum, quam illa praeter necessitatem multiplicari patiantur. Non actum hic agemus, longiorem eorum recensum instituendo examinandoque, quaenam retinenda sint, & quibus contra, tanquam superfluis & inutilibus, citra reipublicae detrimentum, carere possimus *i*). Vnice hic subsistemus circa celebratissimam vsuque frequentissimam speciem, quae nomine iuramenti calumniae venit, disquisituri scilicet, an ab eius praestatione officii necessitas, quippe quae omnem calumniae & malitiae suspicionem remouere videtur, liberet, an non? Hanc dubiam admodum & ancipitem quaestionem paulo nunc vberius excutere eo magis operae pretium visum fuit, quo frequentius in foris de illa in vtramque partem solet disputari.

Ne vero quis neglectae methodi nos accusare queat, eum ordinem seruabimus, quem ipsa rei natura nobis suppeditat. Iubet haec, vt primum generatim quaedam de iuramento calumniae, eiusdem origine, vsu & speciebus

sibi tum cauet, & ne laedat amicos, & ne peccet in Deos.

i) Praestitum hoc fuit satis ample in Dissert. supra laudata: *de abusu Iuramentorum e republ. proscribendo*, per totum.

ciebus diſtinctis praemoneamus, ac deinde ad eos, qui ad illud praeſtandum obligati, quiue ab eo immunes ſunt, transgrediamur.

§. I.

CALVMNIA VNDE DICATVR?

Quid ſit iuramentum, ex iis iam adparet, quae in prooemio praefati ſumus, neminique, niſi rerum quotidianarum plane imperito, poteſt eſſe ignotum. Quid vero ſibi velit in negotio tam ſancto calumnia, multo eſt obſcurius, quam vt quisque ſtatim intelligere poſſit. Ad tollendam itaque iſtam obſcuritatem, huius vocabuli ſignificatus paullo eſt accuratius inueſtigandus. Nemo eius ἔτυμον melius explicat GAIO ICto *a*), qui a veteri verbo *caluo*, *caluor* i. e. fruſtrari ac decipere, deriuat. Hoc ipſum autem a caluis mimis ideo tractum eſſe, nos docet Grammaticum NONII MARCELLI opus, *b*) quod omnibus ſint fruſtratui, qui eos per capillos capere voluerint. Elegans hinc eſt reſponſio, qua Chryſippus olim conuicium calui cuiusdam excepit apud STOBAEVM: *Tibi*, inquit, *contumeliam non dico, ſed capillos tuos laudo, quod improbum caput refugerint.* Nec minus feſtiuum eſt Epigramma MARTIALIS *c*), quod in his definit verſibus:

Vis te ſimplicem ſenem fateri?
Vt tandem videaris vnus eſſe:
Tonſor iam reliquos metat capillos.
Caluo turpius eſt nihil comato.

Enatum

a) in L. 233. ff. de R. I. *caluitur.*
b) *de proprietat. ſerm.* voce *c*) L. X. Ep. 83.

Enatum inde tritum latino ſermone prouerbium eſt, quo caluum vellere dicitur is, qui fruſtraneum ſuſceperit laborem. Pertinet quoque huc illud Poëtae:

Fronte capillata eſt, poſthaec occaſio calua.

Ex eadem enim ratione, vt bene obſeruat ſummi nominis vir, IOH. STRAVCHIVS *d*), *Veteres occaſionem pingebant Deam pedibus alatam, rotae verſatili gradu citatiſſimo circumactae inſiſtentem, in anteriore capitis parte capillis hirſutam, vt facile primum oblata apprehendi poſſet, in occipitio vero caluam, quod praeterita poenitentia ductos fruſtraretur ac deciperet, nec amplius ſe apprehendi pateretur, adeo etiam vt nouacula, qua dextra manu in tergum reflexa continuit, omnem omnino moram praetereunti ſibi iniectam praeſcinderet.* Frequens verbi vſus apud veteres comicos occurrit, e quibus plura exempla huc ſpectantia ſupra laudatus MARCELLVS attulit. Ita PLAVTVS in *Caſina: Nam vbi domi ſola ſum, ſopor manus caluitur*, i. e. deludit atque fruſtratur. PACVVIVS in *Medo: ſentio, pater, te vocis calui*, i. e. decipi, *ſimilitudine, ſed quid conſpicio? Num me lactans caluitur aetas?* & in *Duloreſte: me caluitur ſuſpicio.* ACCIVS in *Euryſace: ſed memet caluor; Vos iſtum, vt iuſſi, ocyus abſtrahite.* TERENTIVS in *Adelph: propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt caluier.* Omitto reliquos veterum locos, eo pertinentes, ſed quin vnicum adhuc adducam, temperare mihi nequeo, qui propius ad Jurisprudentiam ſpectat. Legem XII. Tabularum puto, quae ita habet: *ſei caluitor pedemue ſtruit, manom endoiacitod*, vt celeberr. FVNCCIVS *e*), ſiue *endo iacito*, vt THEOD. MARCILIVS *f*), legit,

d) in Diſſert. *de iuram. calumniae* §. 4. pag. 65.

e) in Leg. XII. Tab. I. L. III.

f) apud HOFFM. *Hiſtor. Iur.* Vol. II. Part. prior. pag. 297.

legit, siue, vt alii *g*) vltimum verbum diuidunt, *endo jacito*, i. e. si quis in ius vocatus frustretur aut in fugam se dare studeat, in eum manus iniicito *h*). Idem quoque fragmentum ex LVCILIO *i*), sed vt FVNCCIVS adnotauit, corrupte, adduxit NONIVS MARCELLVS. Initium vero huius legis, obseruante DYONISIO GOTHOFREDO *k*), exhibuit GAIVS, dum ita infit: *Si caluitur & moretur & frustretur.* Quod STRAVCHIVS *l*) ita explicat: *qui caluitur, moram iniicit & aduersarium frustratur. Inde*, vt pergit GAIVS, qui haec verba studio coniunxit, *& calumniatores adpellati sint*, addita ratione, *quia per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus.* Atque dum vlterius addit: *Inde & cauillatio dicta est*, satis clare indicat, eandem calumniatoris & cauillatoris esse originem, & vtrumque a caluis nomen trahere, qui frustrantur ac decipiunt. Hinc PAVLVS *ICtus m*) *Calumniosum* vocat, *qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat.*

§. II.
QVINAM CALVMNIATORES ET SYCOPHANTAE VOCATI?

Hoc ipsum vero variis modis tam in criminalibus, quam ciuilibus causis, fieri potest. Et quidem proprie Romanis calumniari dicti sunt, qui falsa crimina inten-

g) Vid. HOFFM. l. c. pag. 142. ibique LVDOVICVS CHARONDAS pag. 286. ex HALICARNASS. L. 2. & POMPONIO Cap. 2. *de orig. Iuris*, pag. 295. FR. HOTOMANNVS, & pag. 301. FVLVIVS VRSINVS.

h) Vid. FESTVS de V. S. voce *Struere.*

i) *Sat.* L. XVII.

k) not. *e.* ad cit. L. 233. seqq. de *R. I.*

l) Differt. cit. §. 5.

m) *Recept. sent.* Lib. I. Tit. V. §. I. apud SCHVLTING. *Iurispr. Anteiustinian.* p. m. 228.

intendebant, ſicut praeuaricari, qui vera crimina abſcondebant, tergiuerſari, qui in vniuerſum ab accuſatione deſiſtebant. Ad hos enim tres modos temeritatem accuſatorum reduxit ICtus MARCIANVS *a*). Graeci ſycophantarum nomine denotare ſolebant omnes, qui falſo aliquem criminis accuſabant, vnde, obſeruante BRENCMANNO, quem ſtatim citabimus, ipſum SCtum Turpillianum, quod de calumniis agit, συκοφαντῶν δόγμα dictum eſſe, legimus. Pertinet quoque huc Reſcriptum Imperatoris GORDIANI, quod ſi cum MARCIANI ICti doctrina conferas, egregie hanc adpellationem illuſtrat. Ita enim habet *b*): *fuſtibus caeſum, cui per praeconem ita dictum eſt;* ἐσυκοφάντησας, *vt calumniatorem videri notatum, ideoque eſſe famoſum, manifeſtum eſt.* Denominationis vero huius rationes aliae ab aliis adferuntur *c*), ſeriae partim, partim iocoſae. Hic illam inprimis notamus, quam gloſſatores *d*) a duobus illis ſeruis Graeci cuiusdam viri repetunt, quorum alter nocens alterum innocentem, quod ficus domi paratas deuoraſſet, temere accuſauerat, cuius tamen falſam accuſationem ita detexiſſe fertur herus, vt haurire vtrumque aquam ſubtepidam ac deinde euomere iuberet. Veriorem huius vocis originem indicaſſe videtur EVGRAPHIVS, TERENTII Scholiaſtes *e*), ab his deducens, *qui Athenis accuſabant eos, qui cum ficu frumenta extra vrbem ferebant, & ſaepe adeo falſis delationibus aliis negotium faceſſebant.*

§. III.

a) in L. I. §. 1. ſeqq. *ad SCtum Turpill.*

b) in L. 16. *Ex quibus cauſ. infam.*

c) Vid. ATHENAEVS *Deipnoſoph.* L. III. Cap. 2. PLVTARCHVS de *curioſit.* extr. SVIDAS & FESTVS h.

d) Ad l. cit. 16. C.

e) Ad *Andr.* Act. V. ſc. 4. v. 16.

§. III.

DE POENIS CALUMNIATORVM.

Huius generis calumniam, ceu maxime noxiam Reip. ciuibusque valde periculosam, quomodo vindicauerint Romani, siue in publicis, siue in priuatis iudiciis deprehenderetur, eleganter & multo cum eruditionis apparatu exposuit Illustrissimus ROCHVS FRIDERICVS COMES LINARIAE *a*), quem post finitum maxima cum laude studiorum Academicorum cursum summa merita sua eminentissimas ad dignitates splendidissimasque legationes euexerunt. Nobis, hic instituti nostri rationem habentibus, summam tantum poenarum, in calumniatores huiusmodi statutarum, exhibuisse sufficiet. Non attinet itaque ad remotissima illa tempora & prima initia adscendere, quibus vrbem Romam vel omnino *sine lege, sine iure certo egisse, vel omnia manu a Regibus gubernata esse*, POMPONIVS *b*) scribit, quamquam de vetustissimo & proprio veluti principatus malo hoc antiquissima calumniarum exempla, in historiae Romanae scriptoribus passim obuia, satis testantur. Sed circa liberae solummodo Reipublicae incunabula subsistemus. Hic vero, quod mireris, in legibus XII. Tab. omnis tamen publici priuatique Iuris fonte, nihil plane de hac re sancitum reperimus, forte, vt haud improbabili coniectura rationem huius silentii adsecuti esse videntur, qui paullo sagacius

a) in Exercitat. Jenae 1728. publice cum omnium applausu disputata, *de Iurisiurandi calumniae moralitate, historia principumque imperii ab illo immunitate* Cap. II. §. 2. seqq.

b) in L. 2. §. 1. & 3. ff. de orig. Iuris.

gacius homines odorari, eorumque ingenia peruestigare didicerunt, quia ipse Appius Claudius, antesignanus Decemuirorum, Iudicis autoritate abutens, summum calumniatorem egit, dum, teste LIVIO *c*), impotenti libidine abreptus accusatorem subornauit, qui Virginiae status controuersiam moueret, pessimoque suo exemplo honori, bonis vitaeque aliorum calumniose insidiari docens, nihil in tabulas referendum existimauit, ex quo ipsi Legislatores & Iudices iudicari possent. Sicuti vero hac ratione vitio tam foedo atque detestando satis mature ac praepropere Respublica Romana infecta fuit; ita, crescentibus falsis publicorum criminum accusatoribus, auctoque eum in modum pruritu calumniandi, vt non solum ex infima plebe homines, sed etiam nobiliori loco natos corriperet, lege Remmia *d*) constitutum est, vt omnium calumniatorum fronti, tanquam maxime conspicuae humani corporis parti, qua & per impudentiam suam quam maxime peccassent, litera K inureretur *e*), quae ipsa eorundem crimen indicaret, quandoquidem non calumniam, sed Kalumniam scribere solebant *f*). Vnde simul apparet, cur *integrae frontis homo* calumniatori opponatur *g*). Nimis egregius est locus CICERONIS *h*), quo legis huius, impudentissimo hominum generi

c) L. III. Cap. 43. seqq.

d) De cuius vero nomine, sententia & origine pariter atque abrogatione erudite differit HENR. BRENCMANNVS in lib. sing. *de legis Remmiae exitu*, qui insertus est Illustris OTTONIS *Thesauro Iur. Ciuil.* T. III. pag. 1574.

e) Vid. L. I. §. 2. ff. ad *SCtum Turpill.* ibique GOTHOFREDVS.

f) Quam scribendi rationem belle explicat P. PITHOEVS in notis ad *Mosaicar. & Roman. LL. Collat.* Tit. IIII. §. 4. n. 33. apud SCHVLTING. *in iurisprud. anteiustinian.* p. m. 747.

g) in L. 13. ff. de Test.

h) in Orat. *pro Rosc. Amer.* C. XX.

neri oppositae, & finis & effectus significanter exprimitur, quam vt silentio hic debeat praetermitti. Postquam enim eleganter atque venuste anseribus & canibus, fures non internoscentibus, sed ad quoscunque adpropinquantes sine suspicione etiam clamantibus & latrantibus, falsos accusatores comparauit, ita deinde pergit: *sed si ego hos*, Iudices nempe, *bene noui*, *literam illam*, *cui vos eousque inimici estis*, *vt etiam eas omnes oderitis*, *ita vehementer ad caput affigent*, *vt postea neminem*, *nisi fortunas vestras*, *accusare possitis.* Vtrum hic lectio: *eas omnes*, recte se habeat, an alia potius substituenda sit, quae menti CICERONIS, ad Calendas, quae etiam per K. scribebantur, & ideo debitoribus odiosae erant, quia singulis Calendis aes alienum ab illis exigi solebat, forte respicientis, magis conueniat, Criticorum scholae merito diiudicandum relinquimus *i*), de vltimorum tantum sensu verborum solliciti, qui, nisi nos fallit opinio, is esse videtur, vt M. TVLLIVS, vtpote turpitudinem vitii Romanis tam frequentis atro depicturus colore, innueret, stigmate sic notatos, inexpiabili, vt belle VALERIVS MAXIMVS ait, *k*) literarum nota inustos & summa oris contumelia affectos, seruorum instar fugitiuorum *l*) aut alias delinquentium, simili ratione prima delicti commissi litera signatorum *m*), cuilibet ex populo spectaculo esse abominabili, neque amplius ad iudicium admitti, in eam vero

i) Vid. GRVTERVS ad h. l. & vetus SCHOLIASTES in Edit. IAC. GRONOV. add. BRENCMANN l. c. Cap. V.

k) L. VI. cap. 8. Ext. vlt.

l) Eos toto Epigrammate notatos fuisse docet PETRONII *Satyricon* Cap. 103.

m) de quo signandi more legi potest PANCIROLLVS *Var. Lect.* L. II. Cap. 242.

ro seruilem conditionem propria culpa sic detrusos, neminem habere, quem accusent, quam semet ipsos, siue infortunium illud suum atque infamiam, quam sua calumniandi audacia euidentibusque calumniis sibi attraxerint. Haud parum lucis huic CICERONIS sententiae affundit locus PLINIANVS *n*), non minus dignus, qui hic locum occupet. Ostensurus enim praestantissimus Traiani praeco calumniatorum, qui ante huius Imperatoris tempora poenam stigmatis ob spem compendiorum praemiorumque ingentium, delatoribus *o*) a prauis instigatoribus, subinde etiam a principibus ipsis propositorum, parum curabant, temeritatem improbitatemque omnibus innocentissimis quoque reformidandam, ita inter alia perorat: *Neque, vt antea exsanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam praebeant punctis, & notas suas rideant; sed spectent paria praemio damna, nec maiores spes, quam metus habeant, timeantque, quantum timebantur.* Verum enim vero non hoc solum ex vltimis praesertim huius loci pulcherrimi verbis discimus, admodum fuisse inuisos delatores, ex calumniis quaestum facientes, quem alibi *p*) CICERO iure meritoque turpissimum dixit; sed id quoque simul ex priori eius membro luculenter adparet, ad compescendos hosce venales accusandi machinatores, in omnes cuiuscunque ordinis, aetatis & sexus homines iusto licentiosius grassantes, in locum

---

n) in *Paneg.* Cap. [illegible]5.

o) Illos hinc etiam, & libera republica, & sub principibus quadruplatores dictos esse, ex ASCONIO PEDIANO ad CICERONIS *Verr.* II. C. 7. obseruat BRENCMANNVS l. c. C. IIII. vbi cetera quoque delatorum & calumniatorum nomina magno studio recenset; fata vero eorundem sub imperatoribus peculiari libello supra iam laudato exponit.

p) L. II. de *Orat.* Cap. 35.

locum inustionis olim consuetae subscriptionem in crimen, q) qua ad poenam talionis, siue supplicii similitudinem, accusator sese obligare tenebatur, surrogatam fuisse r). Vtrum autem haec ab ipso Traiano demum, vt sat speciosis argumentis contra BRENCMANNVM euincere studuit *Illustrissimus* COMES LINARIAE s), introducta sit, an dudum antea sub antecessoribus eius inualuerit, vti quidem laudatus BRENCMANNVS non minus speciose ostendit, iam non disquirimus, neque, vt nostrum in re tam dubia & incerta iudicium quicquam valere debeat, nobis sumimus, illud pro certo cum vtroque statuentes, in eo falsum esse magnum CVIACIVM t) & totum Iureconsultorum, ipsum secutorum, agmen, quod, a CON-

q) Huius a vetere subscriptione siue inscriptione differentiam praeclare ex antiquis scriptoribus ostendit BRENCMANNVS l. c. cap. XIX. & XXI.

r) Eandem poenam calumniose accusantium, quae ius can. etiam probat c. 2. C. 4. q. 4. & c. 14. X. de *Accusat.* veteribus quoque Germanis, Romanos hac in re imitatis, placuisse, obseruat B. HEINECCIVS in *Elem. Iur. Germ.* L. III. Tit. IX. §. 311. Inter alias leges clarissima est LEX WISIGOTH. L. VII. Tit. I. §. 1. *Iudex reum, qui accusatur, antea non torqueat, quam ille, qui accusat, si indicem praesentare noluerit, se per placitum trium testium roboratione firmatum, ea conditione constringat, vt, si is, qui accusatus est, manifestis indiciis innocens comprobatur, ipse poenam, quam alii intendit, excipiat.* Idem obtinere apud Anglos in falsis accusationibus criminis perduellionis, testatur ED. COKIVS p. III. *of the Lavvs of England* p. 26. Quid in Germania intuitu vinculi inscriptionis & generatim circa accusationem vsu seruetur, exponit Cel. ENGAV. *Elem. iur. crim.* L. II. Tit. V. §. 61. Add. Ill. LEYSER Sp. LVI. m. 8.

s) in diss. cit. Cap. II. §. V.

t) *Obseruat.* L. VII. C. 13.

CONSTANTINO demum M. *u*) poenam L. Remmiae fuisse abrogatam, existimauit. Neque vero reliqua remedia, siue ordinaria, siue extraordinaria, persequi est animus, quae L. Remmiam insecuta & singularibus calumniae speciebus diuersimode accommodata sunt *x*).

§. IV.

DE ORIGINE IVRISIVRANDI CALVMNIAE.

Non possumus vero non illam cautelam paullo propius inspicere, quae antiquissimis etiam temporibus inter calumniae remedia nobis sese offert. Hoc est ipsum iusiurandum calumniae, de cuius origine hic pauca praemittere e re nostra fuerit. Nimis alte eam repetere, qui in ipso Sacro Codice huius iuramenti sedem quaerunt, praeter alios *a*) iam probe animaduertit IOH. SAM. STRYKIVS *b*), haud immerito hinc carpens SVRDVM, *c*) IOH. BAPTISTAM *d*) & MENOCHIVM *e*), qui *Exodi* XXII. v. 11. illud deprehendisse sibi visi sunt, cum tamen, non de

u) in L. 17. C. *de poen.* quae eadem est cum L. 2. C. Theod. eodem, vbi lectu dignissimae sunt IAC. GOTHOFREDI de exitu L. Remmiae obseruationes, quae BRENCMANNO, vti ipse in praefatione ad hunc librum fatetur, vlterius in illum inquirendi ansam praebuerunt.

x) Accurate illa enumerat BRENCMANNVS L. c. Cap. 19. conf. Tit. ff. de *calumniatoribus*, & GONZALEZ ad Tit. X. h.

a) Vid. KETTLER *Decis. Ostfris.* Cent. I. D. 42. ibique cit. GRAEV. L. I. *pract. concl.* 85. n. 1. seq. HARPRECHT ad §. 1. I. *de poena temere litig.* BESOLDVS in diss. de *iuram. cal.* n. 7.

b) Diss. *de iuramenti cal. remissione* cap. I. n. 4.

c) *Decis.* 18. n. 9.

d) *De Arbitris* L. X. n. 12.

e) *de arbitr. iud. quaest.* Lib. I. qv. 20. n. 2.

de calumniae, sed de litis decisorio eoque, vt WERNHERVS *f*) explicat, purgatorio iuramento ibidem agi, ipsa textus verba satis clare indicent. Neque ADRIANI TVRNEBI *g*), vtut probabilior, arridet coniectura, quae etiam IOH. BAPTISTAE HANSENIO *h*) placuit, scilicet a Graecorum athletis iusiurandum de calumnia deriuandum esse, quippe quos, antequam in arenam descenderent ac pugnam Olympiacam inirent, coram celebratissima illa & terrorem iniiciente Phidiae statua, se sine dolo malo legitime pugnaturos esse, iurare consueuisse, ex PAVSANIA IOH. PHIL. PFEIFFERVS *i*) docet. Non enim opus est in peruestiganda iuramenti Cal. origine ad iuramenta recurrere, quae gladiatoribus solemnia erant, quum eius vsum in ipsis Atheniensium iudiciis tanto frequentiorem deprehendamus, quanto magis illos calumniis falsisque delationibus delectatos fuisse, ex iis facile constare potest, quae supra de sycophantis diximus, quos ex leuissimis saepe caussis, vel ob quaestum, vel ex petulantia etiam, aliis molestias grauissimas intulisse, notum est. Horum igitur malitiae vt obex poneretur, inter varia remedia, quae hunc in finem excogitauerant Graecorum legislatores, etiam iuriiurando de calumnia locum fecerunt, quod, prouti tam ab actore, quam a reo, praestandum in caussis, tum criminalibus, tum ciuilibus, erat, ita diuersa quoque nomina accepit; quandoquidem ratione illius *προωμοσία*, respectu huius *ἀντωμοσία*, & vtriusque partis intuitu *διωμοσία* audiit *k*). Sicut autem, Ro-

f) Part. IV. Obs. 151. n. 654.

g) *Aduersar.* L. XXVII. c. 20.

h) In libro *de Iurei. veterum*, qui in T. V. Thesauri Graeuiani extat.

i) *Antiquit Gr.* L. I. c. 49.

k) Vid. IVL. POLLVX in *Onomast.* L. VIII. cap. 10. sub initium & conf. CAR. SIGONIVS *de Rep. Athe-*

Romanos, conſtat, plura inſtituta alia, ab Athenienſibus petita, in remp. ſuam inuexiſſe, ita dubitandum non eſt, quin ipſis etiam vſum huius Sacramenti acceptum ferant. *a*).

§. V.

DE EIVSDEM VSV IN CAVSSIS CRIM.

Neque tamen ſtatim in omnibus, ſed primum in criminalibus tantum cauſſis ei locum dederunt. Priusquam enim ad accuſandum admitterentur accuſatores, iuramentum calumniae ab iis exigi ſolebat, quo aſſeuerabant, ſe non calumnioſe, ſed iuſtis & legitimis motos cauſſis litem aduerſario intentare. Retulit huc BRENCMANNVS *b*) locum CICERONIS *c*), quo dicit: *Accuſare propter calumniae metum non eſt auſus*, nec non LIVII *d*), quo & ſubſcriptionis & iurisiurandi calumniae mentionem facit. In ipſis autem legibus Romanis antiquiora fere huius iurisiurandi veſtigia non occurrunt, quam in lege *Seruilia* de *Repetundis*; cuius fragmentum aeneum SIGONIVS *e*) & ex illo quaedam aduerſus calumniam capita PAVLVS MANVTIVS exhibuit *f*). Hoc iusiurandum ſicut olim promiſcue in omnibus accuſationibus praeſtari ſolitum eſt; ita inprimis in diuinatione eo maiorem vſum ha-

Athenienſi L. III. c. II. & c. IV. SAM. PETITVS *in LL. Att.* p. 322. MEVRSIVS in *Areopago*. c. VIII. Add. IANVS A COSTA ad §. I. I. *de poena temere litig.*

a) Vid. SCHNEIDEWIN ad Tit. Inſtit. *de poena temere litigant.* IAN. A COSTA l. c.

b) l. c. cap. XIX.

c) In orat. *pro domo* Cap. 49. Add. COELII epiſt. ad CIC. L. VIII. ep. 8. & PLIN. L. V. epiſt. vlt.

d) Lib. XXXIII. cap. 47.

e) *De Iudic.* cap. 27.

f) In Notis *ad Cic. epiſt. fam.* L. VIII. ep. 8.

habuit, quo crebrior hic praeuaricandi occaſio fuit. Erat enim, definiente GELLIO *g*), diuinatio nihil aliud, quam praeuia *judicum cognitio*, qua *de conſtituendo accuſatore quaerebatur, judiciumque ſuper ea re reddebatur, cuinam potiſſimum ex duobus pluribusue accuſatio ſubſcriptioue in reum permitteretur*, cuius iudicii diuinatorii exemplum illuſtre extat apud CICERONEM *h*), veſtigium ſupereſt apud VLPIANVM *i*). Quoniam itaque iuſtam accuſationem veriti ſaepe colluſores, ſiue gratia, ſiue pecunia, conquirebant, qui ſe quidem ad accuſandum offerrent, reos tamen deinde, veras probationes diſſimulando, falſas contra excuſationes admittendo, liberarent, facile inde colligi poteſt, quantopere timendus eiusmodi accuſatorum concurſus, quam caute & circumſpecte circa illos eligendos iudicibus procedendum, & quam neceſſarium fuerit, vt de calumnia iurarent.

§. VI.

DE EIVS VSU IN CAVSSIS CIV.

Quod vero in cauſſis criminalibus ab initio potiſſimum vſitatum fuit iuramentum, ſucceſſu temporis ad ciuiles quoque controuerſias fuit translatum. Poſſet id ex variis iuris noſtri locis luculenter oſtendi, niſi iam alii hic nobis otium feciſſent, inter quos STRAVCHIVS *a*) inprimis, aegre ferens, IVSTINIANVM *b*), quem ex eadem ratione ia-

g) in *Noct. Att.* L. II. cap. 4.

h) in *Verrem.* c. XV.

i) in l. 16. ff. *de Accuſ. & inſcript.*

a) Diſſ. cit. §. 23. ſeqq.

b) Arg. l. 2. C. *de iurei. propter cal. dando.*

iactantiae accusat ANTON PICHARDVS, c) ICtus Hispanus, se pro huius iurisiurandi auctore venditasse, variis legibus Pandectarum d) demonstratum iuit, illud iam iure veteri obtinuisse, hoc tamen simul lubenter largitus, iure Codicis & Nouellarum ei certam formam certumque modum fuisse praescriptum e), qui deinde iure pontificio f) ipsisque imperii legibus publicis g) magis magisque fuit determinatus. Vnde quoque IVSTINIANVM vel eatenus ab arrogantiae nota posse liberari, recte STRYKIVS h) de GOEBEL i) & *Ill.* FLOERCKIVS. k) existimarunt.

§. VII.

---

c) in *Comment.* ad §. 1. I. *de poena temere litig.* n. 20.

d) Vid. inter alias l. 13. §. 3. *de damno infecto* l. 6. §. 2. ff. *de edendo* l. 44. §. 4. *fam. ercisc.* l. 15. §. 1. ff. *de Reb. auctorit. iud. possid.* Plures congessit KETTLER cit. Dec. 42. n. 7. Eiusdem quoque iuramenti mentionem facit PAVLVS *Recept. sent.* L. II. Tit. I. §. 2.

e) Quare ad tollendum illud dubium, an IVSTINIANVS primus huius iuramenti auctor fuerit, quod PAVLO TRIBONIANVM in cit. l. 44. ff. *Famil. ercisc.* adscribere, CVIACIVS in *Parat.* C. h. t. refert, probe monet IANVS A COSTA l. c. obseruandum esse, vnam tantum olim partem ad illud praestandum adactam fuisse, Iustinianum autem id vtrique, & actori & reo, & quidem in omnibus litibus, non, vt olim, in quibusdam solum iniunxisse.

f) Tit. X. *de iuram. cal.* & eod. in 6.

g) *Ordinat. cam.* Part. I. Tit. 65. & *Recess. imper.* de anno 1654. §. 43.

h) in Diss. *de Iuram. cal. remiss.* Cap. I. n. 8. seq.

i) in Diss. *de orig. vsu & abusu. iuram.* cap. 2. §. 5. not. a.

k) in Diss. de *iuram. cal.* §. V. vbi simul recte non solum ex legibus Pandectarum, sed etiam ex l. 9. C. de R. C. & l. pen. C. *Quemadm. testam. aper.* ostendit, iam DIOCLETIANI & MAXIM. A. A. temporibus atque sic longe ante iurisprudentiam Iustinianeam iuramentum cal. in vsu fuisse.

§. VII.

QVID SIT IVRAMENTVM CAL. ET QVARE ITA VOCETVR?

Ex iis, quae de origine & progreſſu iurisiurandi calumniae hactenus diximus, iam facili definiri poterit negotio, quid per illud intelligatur, ſcilicet illa religioſa litigatorum aſſeueratio, de lite non calumniandi animo doloue malo, ſed iuris ſui opinione & fiducia ſuſcepta bonaque fide proſequenda. Facile quoque hinc reddi poteſt ratio, cur hoc iuramentum calumniae adpelletur, nempe, vt bene STRAVCHIVS *a*), ad IOH. de ARNONO *b*), ALBERICVM *c*) aliosque prouocans, explicat, propter calumniam non committendam, ſed vitandam; quamquam vitio ſeculi hominumue potius, in illo viuentium, hoc ſaepius ita inuerti, haud ſine ratione iam dudum viri cordati conqueſti ſunt *d*), vt magis de calumnia committenda, quam omittenda, iuratum eſſe videatur, adeoque periuria periuriis, calumniae calumniis cumulentur *e*). Sicuti autem talis calumnia non ſolum ab ipſis partibus ligitantibus, ſed etiam ab earum adminiſtris metuenda eſt;

a) Diſſ. cit. §. IX.

b) in *Pract. iud.* n. 20.

c) in Rubr. C. *de iurei. propter cal.*

d) Vid. GAILIVS Lib. I. Obſ. 85. n. 4. IOH. OLDENDORP *Progymnaſm. forenſ.* claſſ. I. art. 7. VENTVRA de VALENTIIS ſ. GE. VAL. WINTHER in *Parthenio litigioſo* L. II. cap. 6. n. 19. OBRECHT *de Iuram. cal.* cap. II. n. 22. MEV. P. IV. D. 164. n. 9. CARPZ. P. I. cap. 12. Def. 21. n. 5.

e) Vid. ZIEGLER. in *Rabuliſt.* cap. VIII. §. 8. ſeqq. & in not. ad LANCELOTTI I. I. C. L. III. Tit. XII. §. 6. not. 455. vbi BALDI & MARANTAE hac de re querimonias adducit.

eſt; ita ſub litigatorum nomine non illas ſolum, actorem ſcilicet & reum, ſed etiam hos, procuratores puta & aduocatos intelligi, tralatitium eſt. Nec minus ex definitione patet, non veritatis, aut ſcientiae hoc iuramentum eſſe, ſed credulitatis & opinionis tantum, quae inter ſcientiam & neſcientiam media eſſe cenſetur, neque adeo certis ac demonſtratis, ſed probabilibus nititur argumentis. Diſerte hoc ait Imp. IVSTINIANVS: *f*) *Et licet verae cauſſae natura alia forſitan eſt: tamen, quod quisque credit & exiſtimat, hoc eſt iurandum.* Vnde quoque inferunt interpretes, poſſe excuſari a periurio, qui id tantum iurauerit, quod crediderit *g*). Quinque vero capita, ad quae iuratam iſtam in genere bonam fidem, ad mentem ordinationis cam. *h*), ſpeciatim Dd. reducunt, in vulgus notis verſibus rhythmicis comprehenſa ſunt, qui ita habent:

Illud iuretur, quod lis ſibi iuſta videtur,
Et ſi quaeretur, verum non inficietur,
Nil promittetur, nec falſa probatio detur,
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Paullo vero concinniora ſunt diſticha, quae CHRISTOPHORVS CRVSIVS *i*), patritius & ICtus olim apud Hannoveranos meritis ſuis inſignis, & GE. VAL. WINTHERVS *k*) adferunt:

Iuro, meam litem mihi fultam iure videri,
Nec celaturum, ſi qua rogatus ero:
Nec promiſſurum, neque cauſſae falſa leuandae
Dicere, nec litem ducere velle meam.

Ex

---

f) In l. 2. §. 1. C. *de iurei. propter cal.*

g) HVBER ad Tit. I. de *poena temere litig.* n. 2. PEREZ ad Tit. C. h. t. n. 2.

h) *Part. I. Tit.* 65.

i) in Tract. de *indiciis delictorum* P. IV. cap. 23. §. 6.

k) in *Parthenio litigioſo* L. II. cap. 6. n. 17.

Ex his omnibus cuique, iuramenta iudicialia secundum ordinem, quo in illis distinguendis TITIVS *l*), WERNHERVS *m*) aliique *n*) vsi sunt, consideranti, perspicuum erit, iusiur. cal. quod ceteroquin partim assertorium, partim promissorium est, ad lites neque aestimandas, neque decidendas, sed promouendas, atque, vt IVSTINIANVS, *o*) qui illud pro maximo dirimendarum caussarum remedio *p*) habuit *q*), eiusdem scopum exprimit, ad *contentiosam litigantium instantiam* compescendam *minuendosque calumniatores r*) pertinere.

§. VIII.

DE DIVISIONE IVRAMENTI CAL. IN GENERALE ET SPECIALE.

Diuidi solet iuramentum calumniae in vniuersale & particulare *a*) s. generale & speciale *b*). Illud, quod generis

l) *In iure priuato* L. II. c. 25.

m) Part. IV. Obs. 151.

n) Vid. Consultiss. WINCKLER in Diss. *de Abusu iuram. e rep. proscribendo* Sect. II. §. 52.

o) in l. 1. C. h. t.

p) Simile elogium generatim iuramentis tribuit Apostolus PAVLVS Ebr. VI. 16. & GAIVS ICtus l. 1. ff. de *Iureiur.* Et laudatur potissimum hoc nomine Rhadamantus apud PLATONEM de Leg. L. XII. quod simplici isto & veloci iudiciorum peragendorum remedio sit vsus. *Iureiurando*, inquit, *a partibus requisito, cito simul ac tuto iudicabat.*

q) l. 2. §. 8. C. *de iurei. propter cal.*

r) Dict. §. 8.

a) Vid. BERLICH. P. I. concl. 31. n. 1. PETR. MVLLER ad *Struu.* Ex. 17. th. 72. not. v.

b) Minus frequens est diuisio iuramenti cal. in iudiciale & extraiudiciale, quam adfert WESENBECIVS *Paratitl.* C. h. t. n. IV. Ea vero, quam GIPHANIVS in *Comment.* ad Tit. C. h. n. 2. tradit in iuramentum calumniae

neris nomen retinet, noſtratibusque *der Eyd vor Gefaehrde* vocatur, ſtatim a lite conteſtata ſuper tota cauſſa ab vtroque litigantium eorumque aduocatis praeſtatur, & ad omnes actus ſequentes dirigitur. Hoc vero, quod plerumque iuramentum malitiae, in vernacula lingua *der Eyd der Boſsheit*, vel etiam *der Eyd Boſsheit Zu vermeiden c*) adpellatur, in qualibet iudicii parte, quoties ſuſpicio malitiae ſeſe exſerit, locum habet, & pro re nata modo parti vtrique, modo alterutri decreto iudicis iniungitur.

§. IX.

DE VTRIVSQVE VSV ET NON VSV STRICTIM.

Iam obſeruatum eſt aliis *a*), iuramentum calumniae generale originem ſuam debere Imperatori IVSTINIANO, quippe qui, ſic fore, vt non lites ſolum *b*), ſed etiam calumniatores minuantur, & ſic, pro iudiciis ſeſe homines in ſacrariis ſiſti, putent, pie perſuaſus, expreſſe ſanxit *c*), vt illud ſtatim *in primordio litis* cum ab actore, *non ca-*

vetus & nouum, iurisprudentiam anteiuſtinianeam & Iuſtinianeam tantum reſpicit, de quarum vtraque iam dicere occupauimus.

c) Vt habet ordinatio Dicaſt. Pom. P. II. Tit. 16. in Rubr. §. 11. quam laudat PETR. MASCOVIVS in diſſ. *de Iuramento cal.* Theſ. VIII. & Reformatio Francof. P. I. Tit. 24. §. 1. ad quam prouocat ſupra laudatus FLOERKIVS Diſſ. cit. §. VIII. Idem nomen inter formulas iuramentorum in ordinat. cancell. Calenb. N. IX. praeſcriptas T. II. *conſtit. prou. Br.* pag. 345. n. 12. occurrit.

a) Conf. omnino FRANTZ. ad Tit. D. de *Iureiur.* n. 58. ſeq. & Perill. BOEHMERVS in I. E. P. L. II. Tit. 7. §. 1. ſeqq.

b) Vt ipſe cauſſas ſanctionis ſuae impulſiuas pluribus enarrat in cit. l. 2. §. 8. C. de *Iureiur. propter cal. dando.*

c) In principio legis modo citatae.

calumniandi animo litem se mouisse, sed existimando bonam caussam habere, tum a reo, *quod putans, se bona instantia d) vti, ad reluctandum peruenerit*, iuraturo, tum etiam ab vtriusque partis aduocatis, iam per constitutionem praecedentem *e*) ad eius praestationem obligatis, debeat praestari. Quamuis enim hic de abolendo penitus calumniae s. malitiae iuramento speciali olim vsitato, cui ipse quoque certis in casibus locum fecit *f*), nihil diserte disposuerit; hanc tamen iam tum eius mentem fuisse, ex sanctionibus deinde secutis & ratione introducti a se iuramenti calumniae generalis, in illis clarius indicata, colligere licet, *ne* scilicet *saepius iuretur in caussa, ne crebro cogatur quisquam sacramentum subire, cum in initio iuret, nihil se calumniose in toto negotio exigere. g*) Quam vero Imperator hoc modo impedire voluerat frequentiam iuramentorum, reuocauit deinde Pontifex R. Bonifacius VIII.

d) I. e. vt THEOD. MARCILIVS & VLR. HVBERVS ad §. 1. I. de *poena temere litig.* obseruant, vera inficiatione, s. iusta contradictione, more loquendi Graecis vsitato, qui depulsionem, aut inficiationem oppositam intentioni ἔνστασιν, i. e. instantiam, vocarunt.

e) in l. 14. §. 1. C. *de Iudic.* secundum quam iurare debent patroni caussarum, *se omni quidem virtute sua omnique ope, quod verum & iustum existimauerint, clientibus suis inferre procuraturos, nihil studii relinquentes, quod sibi possibile est;* non autem *scientes prudentesque mala conscientia liti patrocinaturos*, quin potius, *si certamine procedente* aliquid improbi, falsi fictiue sibi *cognitum fuerit*, a caussa *recessuros* & *sese ab huiusmodi communione penitus separaturos esse*.

f) Vid. *Nou.* 73. c. 7. l. fin. C. de *fideicommiss.* & conf. quae ex Nou. LEONIS 99. pro tuenda iuramenti cal. specialis auctoritate arguit Ill. FLOERCKE diss. cit. §. VIII.

g) Vid. *Nou.* 49. c. 3. & inde sumta *Auth. Hoc sacramentum*, iuncta Auth. *In isto*, C. de *iurei. propter cal.*

VIII. dum edixit: *b*) *In omnibus autem cauſſis nedum ante, ſed etiam poſtquam lis fuerit conteſtata, ſiue de veritate, ſiue de calumnia ſit iuratum in ipſis: poteſt iudex a partibus exigere iuramentum malitiae, quoties viderit expedire.* Quae iuris pontificii conſtitutio ipſis legibus imperii *i*) deinde comprobata, in foris Proteſtantium fere vbique adhuc obtinet *k*), quamuis iusiur. cal. generale non ſolum in Saxonia *l*), ſed etiam in plerisque iudiciis aliis exoleuerit *m*), qua de re paſſim queri audias viros cordatos, illud in vſum reduci optantes *n*).

§. X.

DE ARBITRIO IVDICIS CIRCA VTRVMQVE.

Nolumus hic repetere, quae de vſu vel abuſu vtriusque iuramenti calumniae iam alibi *a*) dicta ſunt, neque

b) C. 2. *de iuram. cal.* in 6.

i) Vid. Ord. cam. P. I. Tit. 65. & 74. vbi formulae iuramenti cal. & malitiae extant, & conf. R. I. de anno 1654. §. 43.

k) Vid. GISEBERTVS *pericul. Statutor.* Art. XIV. n. 11. & conf. P. MVLLER ad STRVVII Ex. 17. th. 71. n. a.

l) Vid. CARPZ. P. I. C. 12. Def. 218. L. III. Reſp 54. & in Proc. Tit. 12. Art. I. n. 7.

m) Vid. PEREZ ad Tit. C. de *Iurei. propter cal.* GVDELINVS de *iure nouiſſ.* L. IV. c. 8. WESENB. in *Parat. de iurei.* n. 9. CHRISTINAEVS Vol. II. Dec. 147. HILLIGER. ad DONELLVM L. XXV. c. 3. Quid in his terris vſu veniat, ſollicite expoſuit B. PVFENDORFF, *Introd. in proceſſ. ciu. Electoratus Brunſuico-Luneb.* P. III. c. 23. §. III. ſeqq. De ducatu Magd. vid. *Neuverbeſſerte Proc. Ordn.* P. II. c. 7. ap. MYLIVM.

n) Vid. praeter GODENVM in *Pract. iur.* Tit. de L. C. n. 11. ſeqq. & MATTH. COLERI *Deciſ.* 117. DIOD. TVLDENVS Lib. IV. de *cauſſ. corrupt. iud.* c. 14. B. Dn. de GOEBEL in diſſ. de *orig. vſu & abuſu iuram.* c. 2. §. 6. & ab eo laudatus KETTLER cit. deciſ. 42. n. 40. ſeq.

a) Vid. diſſ. de *abuſu iuram.* e re-

que varias eiusdem ſpecies perluſtrabimus, *b*) illud tantum notantes, ſicuti iudicis prudentiae, in diuinanda, ita eius arbitrio in eiuranda calumnia plurimum eſſe relinquendum, atque adeo ab eiusdem cognitione ac deciſione pendere, an & quando vel alterutri, vel vtrique locus ſit. Neque enim ſolum generale, ſed etiam ſpeciale iuramentum calumniae, vtpote vtrumque legale, a iudice, licet a partibus petitum, ex iuſtis cauſis poſſe remitti, & partibus licet remittentibus, pro re nata poſſe ex officio iniungi, nulli prorſus dubitamus *c*).

§. XI.

---

a rep. proſcribendo Sect. II. §. 55. ibique laudatus ILLVSTRISS. COMES LINARIAE in Diſſ. cit. cap. I. §. 8. ſeqq.

b) Fecit hoc ex inſtituto IOH. WILH. WAGNER in diſſ. *de Iuram. cal.* theſ. 13. ſeqq. vbi de iuramento appellationis, reuiſionis, reſtitutionis in integr. agit. Neque iuramenta dandorum & reſpondendorum aliud eſſe, quam iuramenta cal. conſtat. Vid. Diſſ. cit. l. c. §. 56. & LYNCKER in Comment. ad ius ciu. h. t. n. 60.

c) Vult hoc expreſſe Receſſus Imp. nouiſſimi §. 43. paulo ante citatus, vi cuius iuramentum cal. praeſtandum, *wenn es entweder die Parthey begehrt und der Richter es darauf erkennt, oder auch von ſelbſten, in welcherley Theil des Gerichts, von Amtes wegen auferlegt.* Conſona eſt ordinatio ſummi prouocationum Tribunalis Cellenſ. P. II. Tit. 7. §. 2. ſeqq. itemque Regii Tribunalis Wiſmar. P. II. Tit. 16. §. V. apud MEV. P. VI. D. 138. Secus ſentientes, quorum magnam cohortem adduxit I. SAM. STRYCK. refutauit idem ſolidiſſimis argumentis, diſſ. *de remiſſ. iuram. cal.* c. III. per tot. Ex inſtituto quoque hunc locum tractauit BERNH. LVD. MOLLENBECIVS in diſſ. *de arbitrio ac poteſtate iudicis circa iuramenta* cap. 2. Conf. CARPZ. de *proceſſu* Tit. XII. Art. I. n. 13. LYNCKER Reſp 189. in fine & Reſol. 546. ZAVNSCHLIFFER de *offic. iud. ſuppletor.* P. II. concl. 17. Add. BLVM, *Proc. cam.* Tit. 72. n. 3. VFFENBACH de *Iud. imp. aul.* cap. X. Sect. II. Subſ. II. & Perill. BOEHMER l. c. §. 8. & 9.

§. XI.

DE EXCEPTIONIBVS A REGVLA HIC OBSERVANDA REMISSIVE.

Neque vero longum hic perſonarum recenſum inſtituemus, quibus vel ob dignitatem *a*) ſingularemue eis debitam reuerentiam *b*) iuramentum calumniae per ipſas leges remittitur, vel ob aetatis rationem *c*), iudicii imbecillitatem defectumue animi *e*), etiamſi illud praeſtare velint, nequidem permittitur. Nullus enim fere eſt ſcriptorum huius argumenti, quin, poſtquam regulam de iuramento calumniae tum a partibus, vt vocantur, principalibus, tum a minus principalibus, procuratoribus puta & aduocatis, praeſtando explicaſſet, ſimul exceptiones ſubiunxerit, quae hos illosue ab eo vel eximunt, vel plane repellunt. *e*)

§. XII.

TRANSITVS AD ARGVMENTVM DE NECESSITATE OFFICII, QVAE DEFINITVR.

Illam vero quaeſtionem, quamuis non noua, neque inſolita, ſed a priſcis aeque, ac recentioribus ICtis, in vtramque

a) v. g. principibus imp. eorumque conſiliariis per R. I. nouiſſ. §. 43.

b) Referuntur huc praecipue parentes & patroni per l. 8. §. 5. ff. Qui ſatisd. cog. l. 16. in fine ff. de iureiur. l. 7. §. 3. ſeqq. de obſequ. parent. item dominus feudi & Vaſallus II. Feud. 33.

c) v. g. infantibus, & impuberibus.

d) v. g. furioſis, mente captis.

e) Vid. STRAVCHIVS diſſ. cit. §. 27. ſeq. MOLLENBEC. diſſ. cit. cap. II. §. 4. STRYCK diſſ. cit. cap. 2. n. 28. ſeqq. FLOERCKE diſſ. cit. §. XII.

que partem diſputata ſit, nondum ſatis excuſſam deprehendimus, vtrum ii, qui non ſponte ſua, ſed ex officii neceſſitate litigant, ab eiusdem praeſtatione ſint immunes, nec ne? Quare, operae pretium nos facturos eſſe, exiſtimauimus, ſi argumenta vtrimque allata paulo curatius & aequa lance expenderemus. Id dum nunc agere adgredimur, ante omnia generatim nobis explicandum eſt, quid per officii neceſſitatem intelligamus, quo deinde per ſpecies eundo facilius determinare poſſimus, quid in vnaquaque iuris eſſe videatur. Scilicet eo nomine illud obligationis vinculum nobis venit, quo quis officii ſui rationem habiturus neceſſario litigare tenetur.

§. XIII.

DE NECESSITATE OFFICII, QVAE IVDICIBVS INCVMBIT, NON SERMONEM ESSE, OSTENDITVR.

Quum igitur vnice hic ſermo ſit de litigatoribus, facile patet, nihil nobis rei eſſe cum iudicibus, quippe qui non litigant, ſed litem ſententia ſua definiunt, & ſe non niſi ex lege & animi ſententia iudicaturos ac ſuum cuique iuſte tributuros eſſe, ſemel tantum ab initio ſuſcepti officii hodie jurare ſolent, quamuis, ab ipſis etiam omnium maxime calumniam abeſſe debere, haud abnuamus, neque hinc refragemur IOH. SAM. STRYKIO *a*), illud etiam iusiurandum iudiciale *b*) iuramentum calumniae cum SETSERO *c*) vocare neutiquam dubitanti, quod

a) Diſſ. cit. cap. I. n. 61. ſeqq. Diſſ. de *abuſu iuram.* Sect. II. §. 8.

b) De quo fuſius dictum in

c) de *Iuram.* L. III. c. 3. n. 2.

quod olim omnibus iudicibus non solum sub muneris sui ingressum, sed etiam in omnibus caussis, quas dirimendas suscipiebant, incumbebat, vtpote non aliter *litium primordium & iudicialem calculum accipientibus, nisi prius sacramentum praestitissent, omni modo sese cum veritate & legum obseruatione iudicium esse dispposituros*, vt verbis IVSTINIANI *d*) vtamur, qui pie simul officii sui admonet iudices, & rationem reddit ritus, a se in illa ipsa constitutione saluberrima laudabiliter praescripti, secundum quem ante sedem iudicialem *sacrosanctas scripturas* deponi oportebat & *permanere non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus vsque ad ipsum terminum & definitiuae sententiae recitationem. Sic etenim,* ait, *attendentes ad Sacrosanctas scripturas & Dei praesentia consecrati, ex maiore praesidio lites diriment, scituri, quod non magis alios iudicant, quam ipsi iudicantur; cum etiam ipsis magis, quam partibus, terribile iudicium est; siquidem litigatores sub hominibus, ipsi autem, Deo inspectore adhibito, caussas proferunt trutinandas.* Quod Christiano Imperatore dignum & sacris diuinae reuelationis *e*) oraculis plane consentaneum monitum, & ab ipsis quoque gentilibus, *f*) solum rationis lumen sequentibus, adprobatum, si semper ante oculos haberent iudices pariter, atque caussidici, nunquam de illorum iniquitate horumue calumnia foret caussa conquerendi.

§. XIIII.

---

d) In l. 14. C. de *iud.*

e) Vid. *Paralipom.* II. cap. 19. v. 6.

f) Salubriter inter ceteros Ethnicos scriptores, quos DIONYSIVS GOTHOFREDVS in not. ad celeberrimam IVSTINIANI constitutionem hanc in rem laudat, ac plane ei congruenter SENECA Ep. 10. praecipit: *Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

§. XIIII.

NEQVE ADVOCATORVM ET PROCVRATORVM OFFICIVM HIC INTELLIGI, INDICATVR.

Quum praeterea ex antea dictis iam constet, aduocatos & procuratores aeque, ac partes litigantes ipsas, ad praestandum iuramentum calumniae teneri, haud difficili negotio erit ad intelligendum, illorum officium hic plane non in censum venire. Non desunt quidem, qui leges supra relatas aliter prorsus interpretentur, atque advocatis ob ipsum officium suum eiusdem praestationem tacite remissam esse, censeant, *a*) non solum ad vsum fori contrarium, BARTOLI aetate vsitatum, sed etiam ad consuetudines longe recentiores, in nonnullis locis receptas, prouocantes, *b*) secundum quas caussarum patroni, qui ab initio suscepti muneris de illo rite administrando semel iurarunt, postea non amplius ad iuramentum calumniae sint obligati. Verum enim vero quod ad legum adductarum interpretationem attinet, praeter ea, quae iam STRYKIVS *c*) contra illam recte monuit, ipse Imperator IVSTINIANVS, ceu optimus & mentis & verborum suorum interpres, se in illis non solum partibus, sed etiam earundem aduocatis iusiurandum calumniae iniunxisse, alibi *d*) haud obscure ostendit. Consuetudines vero nonnullas contrarias quod spectat, illas

a) Vid. OBRECHT de *iur. cal.* c. VI. n. 37. seqq.

b) Vid. VINNIUS in *Comment.* ad §. 1. I. de *poena temere litigant.* n. 4. ibique cit. GVDELINVS de *iure nouiss.* L. IV. c. 8. n. 22. PEREZ ad Tit. C. *de iureiur. propter cal.* n. 5. MERVLA L. IV. Diss. 4. Sect. III. Tit. 8. c. 3. seq.

c) Diss. cit. cap. III. n. 59. seqq.

d) §. 1. I. de *poena temere litig.*

illas magno reip. malo introductas esse, ipse PEREZIVS, a quo commemorantur, haud diffitetur. Sicuti enim non raro immemores sunt homines officii sui; quantumuis iuratam de omnibus illius partibus rite explendis fidem dederint; ita quoque saepissime aduocati eiusdem obliuiscuntur. Quare ne conscientiam suam magis magisque vulnerent, optimò consilio iuramenti, quod ab initio, cum in numerum aduocatorum reciperentur, praestiterunt, memoriam per iusiurandum calumniae, quippe quod eodem fere recidit, *e*) in singulis caussis repetitum, renouari, *f*) cum BRVNNEMANNO *g*) STRYKIVS *h*) monet. Deinde, quod inprimis hic considerandum venit, aduocatorum officium non ita comparatum est, vt illis necessitatem imponat in omnibus caussis & cuicunque parti, iuste, an iniuste, litiganti, patrocinandi, quin potius integrum ipsis est patrocinium, quotiescunque de iniustitia caussae sunt persuasi, statim repudiare alterique non deficienti & forte laxiori conscientia

e) Hanc inter iuramentum cal. & iusiurandum aduocatorum conuenientiam speciatim de formula iurandi, qua Lipsienses Aduocati in iudicio mercatorio solent obstringi, Ill. GEBAVERVS adnotauit in *Paratitl.* ad HVBERI *praelect.* §. 1. I. *de poena temere litig.* Eandem quoque similitudinem deprehendere licet in formulis iuramentorum, quae in his terris Aduocatis & procuratoribus praescriptae sunt. Vid. Constit. prou. T. II. pag. 58. 338. & 395.

f) Eodem quoque tendit mos, alicubi receptus, quo statis temporibus Aduocati quotannis sacramentum officii repetere tenentur, prouti de vsu Hollandiae VOETIVS, VINNIVS, HVBERVS ad §. 1. I. *de poena tem. litig.* aliique ICti Belgae passim in scriptis suis, & de Praxi Norimbergensi STRYKIVS in Diss. de *Conscientia Aduocati* Cap. IV. n. 5. testatur.

g) in *Processu ciu.* cap. *XV.* n. 9.

h) l. c. cap. I. n. 54. seqq.

entia praedito relinquere. Quale repudium ſane ſemper dare deberent iniuſtis litigatoribus cauſſarum patroni omnes, ſi boni viri nomen tueri vellent, praeſcripta legum *i*) ante oculos haberent, ac probe ſecum perpenderent, longe conſultius eſſe paucas lites bene agere, quam multas male defendere & in infinitum protrahere. *k*) Quodſi vero quis petentibus aduocationem, quam recuſare poterat, pro pane lucrando, praebere haud dubitet, non magis ipſum praetextus neceſſitatis officii a praeſtatione iuramenti calumniae liberare poterit, quam excuſat eum, qui exheredatus alteri, legatum ex teſtamento petenti, ſponte nulloque iure cogente patrocinium praeſtat, eoque ipſo iudicium defuncti agnouiſſe ac querelae inofficioſi teſtamenti renunciaſſe cenſetur. *l*) Quare neque iis in iudiciis, vbi iuramentum cal. generale abrogatum eſt, ſe a iuramento malitiae ſui officii obtentu poſſunt excuſare, *m*) quin potius eo magis ad illud adſtringuntur tales litium adminiſtri, quo verius eſt MATTH. WESENBECII effatum

i) Iniungi hoc illis ſolet in plerisque ordinationibus proceſſus, prout factum eſt in Ordinat. curiae prou. Calenb. Tit. VII. vbi legi 14. C. de *iudiciis* expreſſe ſuus tribuitur vigor.

k) Offert ſe hoc conſilium intuenti ſpeculum de *Offic. Aduocat.* n. 14. quod laudatur in *Parthenio litig.* L. II. c. 7. n. 17. Pertinet huc illud OVIDII I. Triſt. Eleg. 1. v. 26. *Cauſſa patrocinio non bona peior erit.*

l) per l. 8. §. 10. l. 10 §. 1. l. 12. & vlt. ff. & l. 8. §. 1. C. *de inoff. teſtam.*

m) Singularem tamen eiusmodi exemtionem tam a generali, quam ſpeciali iuramento cal. in Aduocatis ordinariis curiae prouinc. Ienenſ. adnotat Ill. FLOERCKE Diſſ. cit. §. XI. illisque eo ſolum caſu, quando nondum iurati ſint, iuramentum malitiae deferri poſſe, ſcribit.

tum *n*), melius aduocatos & procuratores noſſe calumniari, quam partes, & niſi hoc modo coerceantur, ne omnium, peſſimarum etiam cauſſarum, patrocinium temere ſuſcipiant, verendum eſſe *o*). Ne tamen praeter neceſſitatem & citra fundatam calumniae ſuſpicionem illud deferatur, prudens iudex diligenter cauere, atque hinc cauſſas delati iuramenti debet examinare. *p*)

§. XV.

QVAENAM OFFICII NECESSITAS HIC INTELLIGATVR, DOCETVR, ET RATIONES EXCVSATIONIS A IVRAMENTO CAL. INDE ADDVCVNTVR.

Nulla itaque neceſſitas officii alia hoc loco intelligi poteſt, quam ea, quae incumbit legitimis alienarum rerum adminiſtratoribus, non tam ſuum, quam aliorum commodum procurantibus. Hi certe primo intuitu a iuramento calumniae exemti eſſe eo magis videri poterant, quo minus calumnioſe ſ. malitioſe agere praeſumitur, qui non ſponte ſua, ſed neceſſitate coactus alteri, vel litem intendendo, vel excipiendo, negotium faceſſit. Vnde axiomata nata ſunt: *Calumniari is non praeſumitur, quem officii neceſſitas excuſat*; *a*) *Neceſſitas agendi, vt a*

n) *Parat.* ad Tit. C. de *iureiur. propter cal* n. 6.

o) Conf. quoque WINTHERVM in *Parthenio litig.* L. II. c. 7. n. 9. ibique laudatos.

p) Prouido hinc conſilio eiusdem arbitrio hoc quoque in his terris relictum eſt. Vid. D. ERNESTI AVGVSTI *Verordnung, in welchen Faellen die Aduocaten den ihnen abgeforderten Eyd fuer Gefaehrde zu* praeſtiren *ſchuldig* de ao. 1691. T. II. *Conſtit. prou. Brunſuico-Luneb.* pag. 570.

a) Vid. BARBOSA L. III. C. V. Ax. 2.

a praesumtione calumniae, sic & a calumnia excusat, b) & quae sunt id generis alia. Militare potius pro eo secundum commune illud brocardicon, dixeris, praesumtionem boni viri, donec contrarium probetur. Quae sane tanto fortior esse debet pro quolibet, qui, antequam ad officii suscepti administrationem admitteretur, de probitate ac dexteritate sua iurato fidem fecit. Quam ob rem etiam haud insolitum est iuramentum testium eiusmodi officialibus remittere eosque solum, vbi testimonium perhibere debent, iurisiurandi admonere, quod vi officii sui olim praestiterunt. *c*)

§. XVI.

RESPONSIO AD RATIONES ALLATAS.

Sed quantumuis speciose haec omnia dicantur pro iis, qui ex officii necessitate agunt excipiuntue; si tamen paullo penitius inspicias, non adeo firmo illa stare talo, deprehendes. Primo enim illa praesumtio bonitatis neutiquam de genere earum est, quae non admittunt probationem contrarii atque hinc praesumtiones iuris & de iure vocari solent; quin potius malitiam praesumi in plurimis caussis ipsae leges iubent, *a*) cui remedio quodam interiori fortiorique occurrere eo magis necessarium duxerunt legumlatores, quo difficilius est de occultis iudicium & quo frequentius homines nequissimi optimam faciem induunt aliosque sic sub specie pietatis ac

b) Vid. MEV. P. III. D. 191. n. 6. & P. VI. D. 138. n. 3.

c) Vid. SETSER *de iuram.* L. III. c. 9. n. 27.

a) Vid. LVDOVICI Diss. *de praesumt. bonit.* §. 29. seqq.

ac probitatis circumueniunt. Nec *minus*, vt vere ait MEVIVS, *b*) *qui alienam caussam agunt, friuolas lites mouere & temeritati studere queunt, quam qui propriam, hinc vtique rationis similitudo aequum facit, vt idem obseruetur.* Deinde iam supra monitum est, homines saepe saepius, vt officii sui, ita etiam sanctissimae promissionis obliuisci, sub qua illud susceperunt, atque hinc satis caussae subesse, cur illa subinde ipsis in memoriam reuocetur. Denique iuramentum calumniae, speciale praesertim, plane diuersum est ab eo, quod in officio publico constituti, antequam eiusdem functiones obire possint, tenentur praestare; quoniam hoc generatim ad dexteritatem fidelitatemque, in muneris suscepti administratione adhibendam, tendit, atque semel tantum praestatur, illud autem ad apparentia malitiae indicia dirigitur & circumstantiis rei, de qua suspicio est, accommodatur, adeoque in qualibet iudicii parte exigi & reiterari potest ac debet. Neque argumentum valet, quod a remissione iuramenti testium obmouetur, quum hoc quidem per modum conuentionis a partibus, quarum vnice hic interest, possit remitti, *c*) iuramentum calumniae e contrario non solum vtilitatem & securitatem partis aduersae, ne lis in infinitum protrahatur, sed etiam salutem publicam ipsamque iudicis tum auctoritatem, tum commoditatem spectet, ne scilicet frustra defatigetur litesque praeter necessitatem multiplicentur, quam rationem differentiae EX ALEXANDRO *d*) GAILIVS *e*) & ex hoc STRAVCHIVS *f*) adduxit.

§. XVII.

b) Part. VI. Decis. 412. n. 2.

c) Vid. MYNSINGER Cent. IX. Obs. 31.

d) In l. 1. n. 18. ff. de *fer.*

e) L. I. Obs. 101. n. 4.

f) Diss. cit. §. 33.

§. XVII.

REGVLA GENERALIS DE IVREIVR. CAL. AB OMNIBVS PRAESTANDO PRAEMITTITVR.

Standum igitur regulae, quam leges hic nobis ſuppeditant, neque aliis exceptionibus locus dandus eſt, quam quas ipſae faciunt. Iam vero lex illa cardinalis 2. C. *de iurei. propter calumn. dando*, non ſolum generaliter ſancit, *in omnibus litibus, non aliter neque actorem, neque fugientem in primordio litis exercere certamina, niſi poſt narrationem & reſponſionem, antequam vtriusque partis aduocati ſacramentum legitimum praeſtent, & ipſae principales perſonae ſubeant iusiurandum;* ſed etiam deinde, ne vllum dubium intuitu perſonarum, quas officii neceſſitas excuſare videri poterat a iuramento calumniae, ſupereſſet, expreſſe id praeſtari iubet quoque *a perſonis, quae adminiſtrationem alienarum rerum auctoritate legitima gerunt*, addita hac praegnanti ratione, *quia ipſae cauſſam ſcientes, ita ad eam perueniunt, & ex animi ſui ſcientia iurare debent.* Neque Pontifex R. in textu ſupra allato eiusmodi perſonas excipit, neque in R. I. nouiſſimo talis exceptio reperitur, ſed in vtraque lege ſine diſcrimine iusiurandum cal. tam partibus ipſis, quam earum aduocatis & procuratoribus, iniungitur.

§. XVIII.

TRANSITVR AD PERSONAS EX OFFICII NECESSITATE LITIGANTES, ET AGITVR I. DE CLERICIS.

Iam ſigillatim luſtrantibus perſonas, quae ex officii neceſſitate litigant, primo loco nobis Clerici. occurrunt. Hos quidem, quamuis olim, vt etiam hac parte Lai-

cis praeferrentur, ab omni iuramento immunes fuerint *a*), in cauſſis propriis de calumnia iurare tam ſtricte iuſſit ipſe Pontifex *b*), vt ſimul prohiberet, ne conſuetudo legi contraria hic attendatur. An vero tunc etiam iuramentum calumniae ab illis exigi queat, quando cauſſa non ipſos, ſed eccleſiam, vel praedia & reditus eccleſiaſticos tangit, ideo dubium videri poſſit, quia ſic non motu proprio, ſed neceſſitate, quam ipſis muneris ratio imponit, coacti agunt, adeoque praeſumtio, generatim alias ob pietatis & religionis profeſſionem pro Clero militans, hoc caſu eo magis locum occupat, quo longius a ſuſpicione falſitatis vel malitiae abeſſe cenſendi ſunt. Accedit, quod olim in cauſſis ſpiritualibus & ſpiritualitati, vt vulgo loquuntur, annexis, vbi de eccleſiis, decimis & ſimilibus rebus quaeſtio eſt, iure can. calumniae

a) Vid. l. 25. §. 1. C. de *Epiſc. & Cler. Nou.* 123. cap. 7. & c. 1. X. *de iur. cal.* Conf. Perill. BOEHMER. I. E. P. L. I. Tit. 12. §. 21. Add. *Gundlingiana* P. IIII. N. 1. *von dem Eydſchwur der Geiſtlichen*, vbi erudita & amoena eſt diſquiſitio de origine huius immunitatis clericalis, quam nonnulli a Flamine Diali & Sacerdote Veſtali repetunt, quos nunquam iurare coactos fuiſſe, ex LIVIO L. XXXI. cap. vlt. GELLIO *Noct. Att.* L. X. cap. 15. aliisque veteribus auctoribus CVIACIVS ad Tit. X. *de iuram. cal.* cap. I. refert, *ſiue*, vt PLVTARCHVS in *Problem.* cap. 43. huius rei rationes ſubducit, *quod gehenna ſit & poena liberis iusiurandum, oportet enim Flaminem ſacerdotem a tormentis, qua corpus, qua animum immunem eſſe, ſiue quod haud conueniat ei, cui ſacra, id eſt, maxima credimus, in minimis fidem non adhibere: ſiue quod omnis iurisiurandi execratio periurii finis ſit, aut exitus, at haec funeſta & exitioſa - - aut quia periurii diſcrimen omnibus commune futurum eſſet, ſi nefario & periuro ſupplicationum ſacrorumque vrbis cura committeretur.*

b) Cap. 5. & 7. X. *de iuram. cal.*

mniae iuramentum plane non habuerit locum, *c*) eam quidem ipsam ob caussam, quod in illis Dei & ecclesiae vnice ratio habeatur, cuius intuitu nemo calumniari videtur. *d*) Verum enim vero etiam homines esse Clericos, nec minus, ac Laicos, affectibus regi, antiqua est obseruatio. Hinc illorum testimonio iniurato non magis, quam horum verbis, creditur, sed dudum vtrorumque conditio intuitu praestandorum iuramentorum fuit aequiparata. *e*) Quid? quod ipse Pontifex LVCIVS III. ad decernendum Clericis etiam iuramentum calumniae crescentibus ipsorum malitiis & neglectu veteris disciplinae, iuxta quam olim omnes adeo Christiani plane non iurabant, motum se fuisse, haud obscure innuit, dum hanc constitutioni suae rationem praemittit: *quia nouis morbis noua conuenit antidota praeparari.* *f*) Dispositionem vero HONORII II. P. R. secundum quam in caussis spiritualibus

c) Vid. c. 2. X. *de iuram. cal.* & conf. BERLICH. P. I. Concl. 31. n. 29.

d) Vid. ZIEGL. ad LANCELOTTI I. I. C. L. III. Tit. 12. §. 3. not. 447. ibique laudatus IOH. BAPT. VIVIANVS ad c. 2. X. h.

e) Conferri hic merentur dissertationes binae, quarum altera de *praesumtione pro Clero*, proуti in Diurnis literariis Gottingensibus anni 1741. N. 62. a rerum in Academia Iulia gestarum peritissimo viro fuit obseruatum, non tam IOH. GVIL. ENGELBRECHTVM, cuius tamen solius nomen noua eiusdem editio, quae isto anno prodiit, praefert, quam potius IOH. CHRISTIANVM WINTERVM, cui ille anno 1714. praesidium commodauerat, auctorem habet, altera de *praesumtione contra Clerum* POLYCARPI LEYSERI opus est. Adi quoque, si lubet, Ill. FLOERCKII *obseruationes sel.* ad SCHILTERI I. I. C. L. I. Tit. V. §. 17. ibique laudatos.

f) Conf. *Gundlingiana* l. cit. §. VI.

bus iuramentum calumniae nulli prorsus indici debebat *g*), deinde mutauit BONIFACIVS VIII. *h*), ita sanciens: *Quamuis in caussis spiritualibus, (in quibus debet de veritate dicenda iurari). canones non indicant alicui cal. iuramentum; nos tamen (quia frequenter calumniari videmus in ipsis) vtile reputamus, quod simul (sicut plerique obseruant) tam de veritate dicenda, quam de calumnia (vt via praecludatur calumniis) iurari debeat in iisdem.* Quod si igitur ipsi praelati ecclesiarum & oeconomi de calumnia iurare debeant; *i*) parochus, qui vel propter praedia parochialia, vel propter reditus suos litigat, vel etiam pro locupletando aerario ecclesiastico laborat, vel antiqua ecclesiae nomina exigit, quae debitor dudum expuncta esse ait, vel his similia agit, si suspicio fraudis, aut malitiae se exserat, sub solo muneris sui velamento vix poterit sese a praestatione iuramenti calumniae liberare, quum ratio eius, vt recte MEVIVS *k*) in simili monet, *non ad titulum vel qualitatem alicuius, sed ad agentium intentionem pertineat;* vtrobique autem, & in caussa propria, & in caussa ecclesiae, calumniandi animus possit subesse. Quare totam hanc distinctionem ZIEGLERVS, *l*) cuius vestigia quoque HENR.

g) Vid. cit. c. 2. X. de *iuram. cal.*

h) Cap. I. §. fin. de *Iuram. cal.* in 6. conf. GONZALEZ ad illud n. 13. DEL RE in Tr. *de Iuram. cal.* cap. XIX. n. 37. seq. SCIACCIA *de iudic.* L. II. c. I. n. 148 BRVNNEM. *Iur. eccles.* L. III. Cap. V. §. 14. IAC. AYRER in *Proc. iur.* P. I. cap. XI. Obs. 2. n. 19. & qui eum sequitur, IAC. SCHVLTES P. I. Qu. 15. n. 16. Add. LVDOVICI *Consistorial-Process* cap. XV. §. 11.

i) Conf. BRVNNEM. l. c. ibique laudatus SICHARDVS ad L. 2. §. 2. d. c. 2. X. de *iuram. cal.*

k) P. VI. Decis. 412.

l) in not. ad LANCELOTTI *Inst. iur. can.* L. III. Tit. 12. §. 2. not. 444.

HENR. LINKIVS *m*) ſecutus eſt, merito reiecit, veramque ſimul in cauſſam inquiſiuit, cur inconſultis praelatis hoc iuramentum ex diſpoſitione HONORII, Pontificis, *n*) non debuerit praeſtari. *o*) Neque conditioni Clericorum, aut exiſtimationi quidquam inde detrahitur. *Si enim*, ſunt verba STRYKII, *p*) *bonam cauſſam fouent, citra vllum incommodum ſacramentum hoc ſubire poſſunt; ſi ſciunt, ſe, contra conſcientiam, aliis iniquum iudicium obtrudere, iure malitiis obuiam itur.*

§. XVIIII.

II. DE TVTORIBVS ET CVRATORIBVS.

Inter ordinis ſecularis homines, quos ſubinde officii ſui ratio litigare cogit, primum nobis ſeſe offerunt tutores & curatores. De his iam dudum Imperator ALEXANDER A. *Paconio* hunc in modum reſcripſerat: *a*) *Non eſt ignotum, tutores vel curatores adoleſcentum, ſi nomine pupillorum vel adultorum ſcientes calumnioſas inſtituant actiones, eo nomine condemnari oportere: ne ſub praetextu nominis eorum propter ſuas ſimultates ſecure lites ſuas exercere poſſe exiſtiment.* Non igitur mirum eſt, in compeſcenda litigandi temeritate occupatum IVSTINIANVM *b*) eorum expreſſe mentionem inieciſſe. Fecit hoc, dum illos de calumnia iurare

m) in *Commentar.* ad Tit. X. *de iuram. cal.* §. 2.

n) cit. cap. I. X. de *iur. cal.*

o) Compara hic, ſi lubet, Ill. PVFENDORFFII *obſeruationem* 179. apprime huc facientem.

p) Diſſ. cit. cap. II. n. 88.

a) in l. 6. C. de *adminiſtrat. tut.* conf. l. 2. C. Th. de *Calumniatoribus* ibique IAC. GOTHOFREDVS.

b) in *Auth. principales* §. f. C. *de iureiur. propter cal.* conf. *Nou.* 124. c. 2.

rare iussit his verbis: *Tutores & curatores in caussis, quas agunt, praedictum iuramentum praestabunt.* . Cuius legis rationem deinde *c*) sic explicat Imperator: *Conuenit enim & ipsos iureiurando affici: quia ipsi caussam scientes, ita ad eam perueniunt. Neque enim pupillus, neque adultus, sed ipsi, qui pro eis tutelam, vel curam gerunt, scire possunt caussam & ita ad iudicium peruenire: eo quod ex animi sui scientia iurent.* Apparet ex his, inter pupillos & minores ideo nullum discrimen statuisse legislatorem, quia parem in vtroque caussae ignorantiam posuit. Quodsi igitur illius rei, quae in controuersiam deducitur, aliquam habere queant notitiam, illos ipsos ad iuramentum calumniae admitti posse, eo minus dubitandum est, quo magis constat, minores alias etiam ad iurandum habiles esse, immo iuramentum, vt interpretes axiomatici loqui amant, ex minore facere maiorem. *d*) Haud immerito itaque ab OBRECHTO *e*) dissentit STRYKIVS, *f*) ideo minores XXV. annis a iuramento cal. arcente, quia per se non possint litem instituere, nec actus iudiciales exercere. Quae tamen ratio facile labefactari potest exemplo feminarum, quae, licet alicubi sine curatore in iudicio comparere nequeant, nihilo tamen minus adpraestandum iuramentum cal. adiguntur. Longius ad huc procedit SETSERVS, *g*) pupillos adeo doli capaces, si personam standi in iudicio pro natura caussae habeant, ad hoc iuramentum admittens. Ceterum de vsu iuris ciuilis, hac de re disponentis, hodierno eique consonis iuri-

c) l. 2. §. 2. C. de *iurei. propter cal.*

d) Vid. BARBOSA *Thes. loc. com.* L. II. cap. 41. axiomat. 9. & conf. PAVL. MONTANVS *de iure tutelar. & curationum* Cap. 33. n. 593. seqq.

e) De *iuram. cal.* c. V. n. 12.

f) Diss. cit. cap. II. n. 99. seq.

g) de *Iuram.* L. III. c. III. n. 34. seqq.

iuribus ſtatutariis paſſim ſcriptores teſtantur. *h*) Neque attinet hic immorari principiis iuris Germ. ſecundum quae differentiam inter pupillos & minores pariter, atque inter tutores & curatores, exulare conſtat. *i*)

§. XX.
III. DE ALIIS ALIENARVM RERVM ADMINISTRATORIBVS, CVRATORIBVS BONOR. ET NEGOTIORVM GESTORIBVS.

Deinde ſimili ratione ſecundum allatam IVSTINIANI conſtitutionem & alii legitimi alienarum rerum adminiſtratores ad idem iuramentum tenentur. Qualis cum etiam ſit pater intuitu peculii aduentitii, atque de illo & iure agat, & excipiat, haud dubie quoque in hac officii qualitate de calumnia iurare debet. *a*) Neque curatores bonorum, vel abſentibus, vel in concurſu creditorum conſtituti, ſe ab eo liberabunt. Multo minus vero negotiorum geſtoribus, quos ſolum humanitatis officium ad res alienas gerendas impellit, huius iuramenti gratia facienda fuerit, ſi res ita ferat.

§. XX.
IV. DE OECONOMIS ET SYNDICIS.

Neque vero quidquam intereſt, pergit IVSTINIANVS *a*), *ſiue pro vna perſona quis litem mouere voluerit, ſiue pro aliquo*

h) Vid. KETTLER Deciſ. 42. n. 47. ſeq. & IAC. AYRER in *Proceſſu iur.* P. I. cap. XI. obſ. 2. n. 16.

i) Vid. Ill. *Praeſidis* Tr. *de Gynaecocratia tutelari viduarum illuſtr.* Sect. II. cap. 1. §. 2. interque ibidem laudatos inprimis Ill. GAERTNERI diſſ. qua *Iure Germ. inter impuberes & minores, tutores & curatores non diſtingui*, oſtendit.

a) STRAVCH. diſſ. cit. §. 36.

a) in l. 2. §. 5. C. de *iureiur. propter cal.*

quo corpore, vel vico, vel alia vniuersitate. Quare haud dubie oeconomi quoque & Syndici, quos etiam alias cum tutoribus & curatoribus, quam cum procuratoribus, comparare mauult Ill. LEYSERVS, *b*) nomine vniuersitatis vel secularis, vel ecclesiasticae, litigantes ad iuramentum cal. sunt obligati. *c*) Mandatum tamen speciale ad hoc requirunt Dd. eoque deficiente illud ab integro Senatu s. Collegio exigi posse, contendunt, *d*) quanquam seniores tantum, qui optimam negotii controuersi scientiam habere censentur, immo iuniores potius, si magis illud cognitum perspectumque habeant, iurare soleant. *e*) Quem modum vt in plurimis iudiciis receptum esse testatur SETSERVS *f*); ita in Saxonia ideo potissimum obseruari, post CARPZOVIVM *g*) aliosque ICtos Sax. notat BRVNNEMANNVS *h*), quia Syndicus, vtpote instar mandatarii, ad iurandum ibidem non admittendi, se habens, a iuramento hoc plane repellatur. *i*) Quodsi tamen caussam omnino non nesciant Syndici, adeoque in propriam animam iurare possint, *k*) nullum est dubium, quin non solum admitti, sed etiam cogi ad iuram. cal. queant. *l*) §. XXII.

---

b) *Medit. ad ff.* Sp. 54. m. 12.

c) Vid. c. 4. & 6. X. *de iuram. cal.* c. 2. de *Test.* in 6. Conf. LANCELOTT. I. I. C. L. III. Tit. 12. §. 4. Adde. HVNNIVM *Encyclopaed. iur.* P. II. Tit. II. c. IV. n. 8. ibique magno numero citatos.

d) Vid. BERLICH. P. I. *Concl.* 31. n. 23. & ab eo excitatus IOH. FERRAR. P. II. L. 2. c. 2. vers. ad §. proinde in verbo *Syndicus.*

e) Vid. CARPZ. *Proc.* Tit. XII. Art. I. n. 35. & P. I. C. 13. def. 1. seqq. & conf. Illustr. LEYSER *Med.* ad ff. Sp. 143. n. 3. seqq.

f) de *Iuram.* Lib. III. C. III. n. 40.

g) l. c. def. IV. n. 4.

h) Proc. ciu. cap. XV. n. 10.

i) Conf. Cel. IOH. FLORENS RIVINVS de *Iuram. Vniuersitat.* §. XXVII.

k) Vid. c. 3. X. *de iuram. cal.*

l) Vid. ENGEL in *Colleg. iur. can.* L. II. Tit. 7.

§. XXII.

V. DE CONTRADICTORIBVS, DEFENSORIBVS ET ADVOCATIS PAVPERVM.

Annon autem aduocatus, ſiue procurator, ex officio parti alicui datus ab ipſo iudice, ad peragendam certam cauſſam, renuere poſſit iuramentum calumniae, a parte aduerſa exactum, ſaepe quaeſitum eſt. Referuntur huc curatores litis, ſ. contradictores, defenſores & aduocati pauperum, qui omnes ab eius praeſtatione eo magis immunes eſſe videntur, quo minus calumniari praeſumitur, qui iuſſui magiſtratus obtemperat. *a*) Sicut enim hic ex illicito licitum facit; ita nihil imputari poteſt ei, cui nihil niſi obſequii gloria relicta eſt, quae ipſa ei non permittit cauſſae patrocinium ſibi demandatum declinare. Sed quantumuis iuſta viſa fuerit cauſſa iudici, dum illam advocato ſ. procuratori committeret; variis tamen modis hic circa eam tuendam poteſt malitioſe verſari. Vnde diſtinguunt Dd. *b*) inter merita cauſſae, & ipſum proceſſum. Quoad illa iusiurandum cal. remittunt aduocatis, ita quidem, vt non opus habeant iurare, quod credant, ſe habere bonam cauſſam, ne iuſſus iudicis, qui eam illis agendam commiſit, ipſis fraudi ſit atque offenſioni; quod autem ad modum procedendi attinet, quippe qui nudum illorum miniſterium reſpicit, eos ad iuramentum omnino adſtringi eatenus volunt, vt iurent, ſe cauſſam non eſſe calumnioſe protra-

a) Vid. l. 167. ff. de R. I.

b) Vid. GAILIVS L. I. Obſ. 88. & qui eum preſſe ſequitur, STRAVCHIVS diſſ. de *iuram. cal.* §. 39. Add. LYNCKER in *Comment. iur. ciu.* Lib. XII. Tit. 2. §. 59. extr. & Perill. BOEHMER I. E. P. L. II. Tit. 7. §. 4. in fine.

tracturos, quum calumniari non solum dicatur is, qui caussam iniustam tuetur, sed etiam, qui iustam improbe differt ac sufflaminat. Neque dubitandum est, quin iudex, qui ipse caussae patrocinium alicui demandauit, ei iuramentum cal., si a parte exigatur, quoad merita, facile sit remissurus, quum e contrario in iis, quae munus suum in ea prosequenda concernunt, illud vix sine fraudis suspicione possit aduocatus detrectare.

§. XXII.

VI. DE PRAEFECTIS S. OFFICIALIBVS PRINCIPVM.

Non minus frequens est quaestio de praefectis, s. officialibus principum, qui hoc ipso sui officii colore iuramento calumniae se plerumque subtrahere conantur, quamuis aliis ipsi iuramentum litis decisorium subinde deferre, & ab aliis vicissim delatum acceptare haud dubitent; *a*) sed frustraneos eorundem esse conatus, tot praeiudicia probant, quibus etiam ad iurandam calumniam fuerunt adacti. Neque id sine caussa fieri, docet MEVIVS, *b*) *eo minus isti hominum generi id* iuramentum *remittendum* statuens *quod scimus, adulatione erga principes, aut pro ambitione vel auaritia sua saepius lites excitare, aliis mo-*

a) Vtrumque commode fieri posse, quum praefectis cura & administratio bonorum & iurium principis commissa sit, adeoque ipsi se instar procuratoris omnium bonorum habeant, & B. PVFENDORFFIVS, STRYKII de *Caut. iuram.* P. II. S. I. cap. 4. §. 296. & LAVTERBACHII in *Colleg. th. pr.* Tit. de *iureiur.* §. 54. auctoritate suffultus, asseruit, *Introd. in proc. ciu.* P III. c. V. §. 10. & dignissimus eiusdem filius, ad Ill. LEYSERI *Medit. ad ff. Sp.* 136. prouocans, statuit idque praeiudicio summi prouocationum Tribunalis Cellens. corroborauit, Obs. 181.

b) Part. III. Dec. 191.

mouere, & vel illorum gratiam, vel ſua compendia, vel in alios vindictam quaerere. Quare etiam iusiurandum appellationis officialibus, qui nomine principis ſui ad ſuperius judicium prouocarunt, argumentum a procuratoribus, quorum vices ſic gerunt, ducens eis recte iniungi, contendit. *c*) Sua fecit, MEVII verba BRUNNEMANNVS *d*) eiusque ſententiam penitus amplexus eſt, quae etiam fere communi ICtorum ſuffragio compobatur. *e*)

§. XXIIII.

VII. DE CONSILIARIIS PRINCIPVM.

Aliud dicendum eſt de miniſtris ac conſiliariis principum, non quidem indiſtincte, ſed eo cum diſcrimine, vt videndum ſit, proprione, an dominorum ſuorum nomine, litigent. Priori caſu illos a iuramento calumniae neutiquam exemtos eſſe, itidem docet modo laudatus MEVIVS *a*), idque praeiudicio confirmat, hoc tamen illis praecipui cum SETSERO *b*) tribuit, vt, tanquam perſonae egregiae, ſiue ſpecioſae, vt vocat VLPIANVS, *c*) & in dignitate inſigniori conſtitutae, non publice in loco iudicii, ſed domi ſuae coram deputatis a iudice, parte aduerſa, vel procuratore eiusdem praeſente, iurare debeant, quod ipſum quoque conſtitutioni IVSTINIANI *d*) non minus, quam antiquo iuri, *e*) perquam eſt conſentaneum. Poſteriori autem caſu, ſi non pri-

c) P. IV. Obſ. 113.

d) *Iur eccleſ.* L. III. c. V. §.16.

e) Vid. P. MVLLERVS ad STRVVII Ex. XVII. th. 73. & Ill. FLOERCKE diſſ. cit. §. XII.

a) P. V. Deciſ. 237.

b) de *iuram.* L. III. cap. 7. n. 7. ſeqq.

c) l. 100. ff. d. V. S.

d) l. 2. §. 1. C. h. t. iuncta *Nou.* 123. c. 7. & *Nou.* 124. c. 1.

e) Vid. l. 15. ff. *de iureiur.* & conf. MENOCH. de *Arbitr. iud.* L. II. Cent. I. Caſ. 70. WERNHER P. IV. Obſ. 151. n. 580

priuatas, ſed principum ſuorum cauſſas agant, illis aeque, ac his, Receſſus imperii nouiſſimus, ſupra *f*) iam hanc in rem allegatus & plerisque ordinationibus prouincialibus adprobatus, hanc veniam dedit, vt a iureiurando cal. ſint immunes. Regulae enim, quae ibidem de iurei. cal. ab omnibus partibus litigantibus earumque procuratoribus & aduocatis praeſtando traditur, haec exceptio eſt addita: *Daruon iedoch der Churfürſten vnd Staenden verpflichtete wuerkliche Raethe, ſo viel ihrer Herrn Rechtfertigungs-Sachen betrifft, zu excipiren.* Huic ipſi vero exceptioni duae limitationes inſertae ſunt, quae regulam in caſibus non exceptis ſatis clare firmant. Altera perſonas conſiliariorum ipſas reſpicit, vt ſcilicet non ſint titulares vel honorarii tantum, ſiue *von Hauſs aus,* vti vernaculo ſermone vocantur *g*), ſed actuales, ſiue, vt RODINGIVS *h*) explicat, *qui in curia principum & actuali ipſorum ſeruitio* ſunt, *Beſoldte, Gebroedte Raethe. i*) Altera ſpectat ad cauſſas, in iudicium deductas, vt nempe dominos ſuos, non ſemet ipſos, tangant. Neque vero has ipſas limitationes ſine noua reſtrictione dimittunt nonnulli iuris publici interpretes, ſed cauſſas, quae inter principem & ſubditos vel vaſallos eius ventilantur, ab iis, quae principi vel cum alio principe, vel cum ciue extraneo diſcutiendae ſunt, ſollicite diſtinguunt. In illis remiſſioni iura-

---

f) §. XI.

g) Vid. PAVL. GAMBSIVS in *Comment.* ad h. l. MOLLENBEC. Diſſ. *de arbitrio ac poteſtate iudicis circa iuram.* cap. II. §. 4.

h) in *Pandect. cameral.* L. III. Tit. 30. p. m. 838.

i) Conf. etiam BLVM. *in Proceſſu cam.* Tit. 72. §. 19. & HORNIVS *Conſult.* Claſſ. XII. Sent. 40. quae nomine Elect. Brand. 1696. lata ordinatonem iudicialem Brand. tanquam exorbitantem ſimiliter tantum ad conſiliarios actuales reſtringit.

ramenti calumniae quidem, ob ſimilitudinem ſanctimoniae & reuerentiae, propter quam parentes & patronos ab eo immunes eſſe ſupra *k*) diximus, locum dare haud dubitant; in his vero, propter ceſſantem hanc rationis paritatem, legis quoque diſpoſitionem ceſſare, volunt *l*) Sed pleris que tamen ex benigna interpretatione & ob dignitatem eminentiorem, quae omnem calumniae ſuſpicionem excludere cenſetur, *m)* indiſcriminatim principibus, ſiue cum ſuis, ſiue cum alienis ciuibus ipſis res ſit, adeoque etiam eorundem conſiliariis hanc immunitatem adſcribunt, idque obſeruantia ſummorum imperii tribunalium confirmant. *n*) Controuerſiam vero, Sereniſſ. Duci Saxo-Iſenacenſi, Ioh. Guilielmo, p. m. cui reſtitutionem in integrum petenti iuramentum cal. a Camera imper. iniunctum fuerat, nouiter ao. 1723. de hac exemtione motam, pariter ac ſcripta, quae tum pro illa tuenda in Comitiis exhibita fuerunt, *o*) commemorat Ill. FLOERKIVS, *p*) qui ſimul antiqua tempora, quibus ſtatus imp. a praeſtatione iuramenti cal. nondum exemti fuerunt, & recentiora, quibus haec immunitas ſatis luculenter ipſis aſſerta ſtabilitaque fuit, probe diſtinguit, adeoque totum hoc argumentum ex ipſis legibus imp. egregie illuſtrat. Hac tamen exemtione non obſtante multum hic

k) Cit. §. XI.

l) Vid. inter alios RVLAND *de Commiſſar.* P. I. L. II. c. 14. n. 10. MYLER AB EHRENBACH. de *principibus & ſtat. Imp. Rom. Germ.* P. I. cap. 20. §. 5. Add. ANT. GVIL. ERTL de *Iur. princip.* Ex. XII.

m) Vid. SCHRADER de *feud.* P. X. Sect. 3. n. 77. GRAEV. I. Concl. 90. SETSER de iuram. L. III. c. 3. n. 100. MYLER AB EHRENB. in *Nomologia* C. V. n. 2. ſq.

n) Vid. MYNSINGER I. obſ. 74. OBRECHT *de iuram. cal.* cap. VIII. n. 13. MEV. P. III. D. 171. n. 1. & D. 278. n. 3. STRYK de *Remiſſ. iur. cal.* cap. II. n. 78.

o) Extant illa in FABRI *Staats-Cantzley* T. 44. c. 17. & T. 45. cap. XI.

p) Diſſ. cit. §. XII. pag. 27. ſq.

hic quoque arbitrio iudicis, ſi de lite calumnioſa ex actis conſtet, tribuit MOLLENBECIVS *q*), HORNII *r*) & STRYKII *s*) veſtigiis inſiſtens, atque ita tandem concludens: *Si tamen ex actis iudicii adparet, Conſiliarium ex adulatione erga principem, aut pro ambitione, vel auaritia, vel odio aliquo erga ſubditum litem excitaſſe, vt per hanc principis gratiam, aut ſuum emolumentum quaereret, vel etiam in ſubditum vindictam exerceret, vt ſaepius fieri ſolet, vel etiam ipſam cauſſam principis iniquam eſſe, iudex cordatus, poſthabito omni reſpectu perſonae, iuſtitiam & veritatem ſequi, adeoque conſiliarium ad iurandum de calumnia per ſententiam condemnare non verebitur.* Neque, quae de immunitate a iuramento cal. communi in hoc Receſſu diſpoſita ſunt, ad iuramentum Appellationis & Reuiſionis, ob maiorem tunc iudicii cameralis religionem & fortiorem calumniae praeſumtionem, extendi poſſe, interpretes contendunt. *t*)

§. XXV.

VIII. DE ADVOCATIS ET PROCVRATORIBVS FISCI TRANSEVNTER.

Solet quoque argumentum, inde pro immunitate a iureiurando calumniae petitum, communiter ad procuratores & aduocatos fiſci, ex itenditate rationis, extendi. Sed quia eius diſcuſſionem Ill. Praeſes programmati inaugurali reſeruauit, hic filum abrumpo, ipſique hunc locum ſupplendum relinquo.

---

q) loco citato.

r) l. c.

s) Tr. de *cautel. iuram.* P. III. S. I. C. I. n. 96.

t) Vid. GAMBSIVS l. c. & LYNCKER. de *Grau. extrai.* cap. V. Sect. I. §. 21. n. 15. ſeq.

F I N I S.